



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 89. Prælium San - Dionysiopolitanum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.
nestabilis copiis longa militia efferatis
magnum damnum inferendi spatium
nancisceretur, sese tuto recipere posset
ad proximum locum, in quo certe exer-
citus nondum plene victoriosus ipsum
aggredi minime ausurus esset.

§. LXXXIX.

Prælium San - Dionysiopolitanum.

Thuan. l. 42.
Bellef. l. 6.
c. 106.
Enimvero res, prout Condæus præ-
viderat, re ipsa evenit, quippe ad
vesperam secunda Novembris die in a-
perto campo prope oppidum sancti Dio-
nyfii commissum est prælium, in quo
Colinius, qui sinistram Protestantium
aciem ducebat, per Franciscum Mont-
morentium Connestabilis Filium fusus,
fugatusque est: ex altera autem parte
Connestabilis a Condæo Principe, &
Castillionæo olim Cardinale fuit profligatus,
ejusque copiis in fugam actis
omni ex parte ab hostibus cinctus, a
suis vero derelictus est, ubi cum a Ro-
berto Stuarto Nobili Scoto, ut se de-
deret, rogaretur, ipse valida adhuc
manu undique circumventus capulum
ensis in maxillam ejus intorsit, tanta
vi, ut ei duos dentes excuserit: quo
facto impatientia doloris exacerbatus
sive Stuartus ipse, sive alius e turba,
sclopeti ictum a tergo in eum direxit,
qui in loricam infirmam, nec sclopeto-
torum

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

torum ictibus ferendis parem facile pe-
netravit, & lethali plaga affectum in
terram prostravit: interea vero victri-
bus Francisci Montmorentii copiis op-
portune accurrentibus Pater ex hostium
manibus ereptus est. Tandem post acre
trium horæ quadrantium certamen
Protestantes, cum victoriam Catholicis
incipitem reddere desperarent, resti-
tutis ordinibus sese receperunt, prælii
acie Catholicis relicta: altera autem
die Conestabilis ex vulneribus suis ani-
mam Deo reddidit, qui quamvis octo-
genarius esset, animi tamen fortitudi-
ne, qua major in juvene desiderari haud
posset, decertavit, postquam pruden-
tia celeberrimo Belliduce digna, ac cir-
cumspeditione prius cuncta ad prosperum
certaminis exitum necessaria provide
disposuerat.

Postea conjurati, ut plenæ victo-
riæ gloriam Regi adimere, propriæ ve-
ro existimationi tam apud Gallos, quam
apud Protestantes Germaniæ Principes
consulere possent, novi prælii discrimen
offerre statuerunt, quamvis sibi probe
persuasum haberent, provocationem ad
pugnam haud acceptatum iri, cum Con-
nestabilis dignitas alteri, qui supremum
exercitus imperium digne in se susci-
pere posset, nondum collata esset: ergo
Andelotus & Montgomerius Comes
cum

Sæc XVI.
A C 1566

cum recentibus, quas adduxerant copiis prodibant, ut factionis suæ honorem repararent, cum autem hostem, quocum dimicarent, non offenderent, Capellam Pagum incenderunt, atque Andelotus usque ad primum Parisini suburbii munimentum progressus fuit, ubi nemine obsistente cum toto suo peditatu nonnisi molatrinæ, quæ sola ei restiterat, vim admoveri jubet: illam vero ampla fossa cinctam Guerrerius Parisinus strenuus Ordinum Ductor tuebatur, qui cum exiguo admodum suorum numero aggressores repulit, atque Andelotum fugere compulit, qui tamen inde sub tubarum sonitu recedebat, perinde acsi victoriam reportasset.

§. XC.

Recentes copiarum utrinque toto studio collectarum.

La Povel.
hist de Franc.
l. 12.

Davila l. 4.

Thuan. l. 42.

Interea ambæ partes in omnibus Provinciis pro suo quisque exercitu milites conscribere, ac belli vel maxime cruenti classicum canere satagebant, & quidem Rex suppetias ab Italis, atque Hispanis sollicitabat, & rebelles ab Anglis opem quærebant, ab utraque autem parte Germani ad ferenda auxilia urgebantur: verum Elisabetha petitam opem ferre recusabat, caussata pacem non ita pridem cum Gallis initam;

in-